



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatum Serie Vigessimvm-Octavvm De Matrimoniis, &
Sponsalibus, cum Indicibus necessariis

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

De impedimento consanguinitatis. Pun. 7.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76659)

Ceterum communis, veraque sententia docet non iure natura, sed solum iure Ecclesiastico votum in professione Religionis, & a fortiori in Ordine sacro emissum matrimonium dirimere, sicuti multis comprobatur Sanch. lib. 7. disput. 26. a num. 1. Coninch. disput. 3. dub. 6. num. 67. & seqq. Vazq. 1. 2. disput. 16. Basil. Ponce, lib. 7. cap. 22. num. 4. Galpar Hurtado disput. 15. difficult. unica. Paul. Layman. lib. 5. summ. tract. 10. part. 4. cap. 3. num. 1. Ratio a posteriore sumitur, quia matrimonium simul cum professione Religionis coherere potest, ut manifestè constat in eo qui ex licentia coniugis, vel diuortio legitimo facto Religionem proficitur. Signum ergo est nec professionem ex se dirimere coniugium, neque coniugium professionem. A priori verò ea est ratio, quia esto Religiosus voto continentia se Religionem tradat, ea traditio solum est vt à Religione gubernetur, & dirigatur in propria perfectionis consecutione iuxta Regulas ipsius Religionis. At prædicto fini non obstat coniugium secluso illius voto, vt conuincitur exemplo Beatissimæ Virginis, & plurium coniugatorum, qui Religionem professi sunt, ergo iure naturæ professio Religionis matrimonium dirimere non potest. Restat ergo vt solum iure Ecclesiastico hanc vim, & efficaciam habeat. Præterea votum esse simplex vel solemne solum iure Ecclesiastico inductum est, vt probauimus latè tract. 15. de Voto. disp. 1. & tract. 6. de statu Religioso ex definitione Bonifac. VIII. in cap. un. de Voto in 6. & ex Gregor. XIII. in bulla, Ascendente domino. At votum simplex omnes farentur ex se non dirimere matrimonium, esto illud impediatur. Ergo nec votum solemne illud ex se dirimere poterit, sed solum iure Ecclesiastico, a quo solemnitatem accipit.

Quoad Ordinem atinet etiam est certum de fide sacrum Ordinem vel ratione sui, vel voti castitatis secum annexi matrimonium contrahendum dirimere, vt colligitur ex cap. 1. & 2. Qui clerici, vel vocantes. Cap. a multis de etate, & qualitat. & cap. placuit. Cap. lectores, & alij 32. dist. & leg. regia 16. tit. 2. part. 4. Quo autem iure hanc efficaciam dirimendi matrimonium facer Ordo habeat? Variant Doctores. Alij dicunt iure Diuino positio. Alij iure naturali. Sed rectius censent qui solum iure Ecclesiastico eam potestatem Ordini concedunt. Quippe nullus est locus Scripturæ, neque Concilij, ex quo colligi possit Christum Dominum hanc potestatem dirimendi matrimonium Ordini concessisse. Ex iure autem naturali non illam continet Ordo, siquidem optimè cum Ordine compatiri potest traditio corporis ad coniugalem vsum. Superest ergo vt solum ex iure Ecclesiastico habeat facer Ordo efficaciam dirimendi matrimonium. Atque ita docet Sanchez disput. 28. num. 24. Gutier. cap. 94. num. 10. Rebelle. lib. 3. quest. 4. Vazq. tom. 3. in 3. part. disp. 249. cap. 2. Basilius Ponce, lib. 7. cap. 27. num. 5. & alij, & nos latè diximus tract. de Ordine. part. 17.

Supererat dicendum, an Ordo susceptus obliget ad castitatem, abstinendamque à coniugio non solum ob votum ibi inclusum, sed etiam ratione sui ex lege Ecclesiastica? Item an suscipiens Ordinem ex metu cadente in constantem virum vel in etate impuberi, vel ante vsum rationis, vel ignarus obligationis hac adstringatur obligari one? Sed has difficultates prædicto tract. de Ordine punct. 17. examinaui, quibus nihil speciale addendum occurrit.

PUNCTVM VII.

De impedimento consanguinitatis.

- 1 Quid sit consanguinitas?
- 2 Distinguitur per lineas, & gradus.
- 3 Pro computatione graduum triplex regula constituitur.
- 4 Quæ sit computatio graduum spectato iure Ciuili, & Canonico?
- 5 Quoad successiones computatio ciuili seruanda, secus quoad matrimonium.
- 6 Consanguinitas impedimentum est dirimens matrimonium contrahendum ex iure positio.
- 7 An iure natura sit aliqua consanguinitas dirimens matrimonium? Referuntur sententiæ.
- 8 Probabilius est in primo gradu linea recta matrimonium irritum esse.
- 9 In alijs gradibus incertissimum est.
- 10 De gradibus linea transversa plures censent in primo iure natura esse irritum matrimonium.
- 11 Contrarium verius est.
- 12 Satis sit oppositis rationibus.
- 13 Quædam illatio apponitur.

Consanguinitas (teste D. Thom. ferè ab omnibus recepto in 4. d. 40. q. 6. art. 1.) est vinculum, seu propinquitas personarum ab eodem stipite descendendum. Dicitur vinculum, quia consanguinei, eo quòd ab vno sanguine originem trahunt, seu in vno sanguine communicant vinculo amicitia ligantur. Quod apertius indicant illa verba ab eodem stipite

descendentium, ex eo namque quòd ab vna radice descendant & ab ea virtutem accipiant inter, se sicuti rami vnius arboris colligantur. Neque opus est illis verbis ab eodem stipite descendendum, addere verbum propinquo vt placuit Paludani in 4. d. 40. quest. 1. art. 1. Et Couaruu. in 4. decret. 2. p. cap. 6. §. 6. num. 1. & seqq. Satis enim verbo stipitis hæc propinquitas declaratur, nam esto omnes ab Adamo descendant, cuiusque virtus omnibus quoad speciem communiceatur, non tamen quoad indiuiduationem, complexionem, motumque similitudinem: hæc enim ex stipite propinquo provenire debent, ideòque descendentes quo ab stipite remotiores existunt, minus stipiti assimilantur, vt optimè notauit Sidorus relatus in cap. consangu. 359. 4.

Distinguitur consanguinitas per lineas, & gradus. Linea est ordinata collectio personarum ab vno stipite descendendum, seu omnes personæ consanguineæ collectiue sumptæ. Et hæc est duplex, altera recta, altera transversa. Recta est collectio eorum, quorum vnus ab alio originatur, continetque ascendentes, & descendentes. Transversa est collectio consanguineorum ab eodem stipite descendendum, quorum vnus ab alio non originatur. Quoribus autem mentio lineæ fit, nisi aliud exprimat de linea recta intelligendum est, non de transversa, vt notauit Mascard. Anton. Peregrin. de Fideicommiss. art. 22. & seqq. Gradus verò est habitudo coniunctionis vnus consanguinei ad alterum per ordinem ad stipitem, a quo descendunt.

Pro computatione graduum triplex regula à Doctoribus constituitur, vt videre est apud Sanch. lib. 7. disp. 50. a num. 4. Prima est pro linea recta. Tot gradibus vnus alteri coniungitur, vel ab eo distat, quod generationibus ab eo descendit. Vnde filius est in primo gradu cum patre, quia media vnica generatione ab eo procedit, nepos cum auo in secundo gradu, quia duplex generatio mediæ, & sic de reliquis. Secunda regula est linea transversa æqualis iuxta Textum in cap. ad sedem. Et in cap. parentela 359. 5. inquit, tot gradibus vnus alteri coniungitur, vel ab eo distat, quot quilibet coniungitur, vel distat à communi stipite: quia solum ratione illius, & per illius respectum coniunguntur, vel distant ideòque fratres sunt in primo gradu, quia in ordine ad stipitem vterque immediatè coniungitur. Tertia regula habita in cap. fin. de consanguinit. pro linea transversa inæquali est, tot gradibus vnus alteri coniungitur, vel ab eo distat, quot distat à communi stipite is qui remotior est. V. g. Maria est nepis Petri, Francisca eius abnepis, Paulus vero eiusdem abnepos, hic ab vtraque æqualiter scilicet quatuor gradibus distabit, quia tot distat à Petro. Etenim cum tantum ratione communis stipitis coniungantur, nequeunt magis inter se coniungi, quàm remotior fuerit illi coniunctus.

In computatione graduum lineæ rectæ conuenit ius Ciuile cum Canonico, secus in computatione graduu lineæ transversæ siue æqualis, siue inæqualis. Nam ius Ciuile computat omnes gradus, qui sunt in personis computatis, cum autem in quolibet sit vnus gradus ab alio distinctus, etiam ab stipite vterque æqualiter differat plures gradus computat. Vnde afferit duos fratres esse in secundo gradu, seu in duplici gradu cum stipite, quia vnusquisque suum gradum habet per ordinem ad stipitem commune. Et duo filij fratrum sunt in quarto gradu, quia vnusquisque duplici generatione distinctus ab alio descendit ab stipite, & consequenter duplicem gradum distinctum continet.

Quoad successiones computatio iuris Ciuili seruanda est, vt deciditur in leg. regia 3. tit. 6. part. 4. tam in foro Ecclesiastico, quàm sæculari, vt tradit Couaruu. in 4. decret. 2. p. c. 6. §. 6. num. 8. In alijs vero contractibus, & actionibus, seruanda est computatio illius fori, ad quem pertinet contractus. At quoad matrimonium fidelium semper computatio iuris Canonici spectari debet, quia in hac parte nihil ius Ciuile disponere valet, sicuti hæc omnia notantur Couaruu. supra. Sanch. lib. 7. disp. 50. num. 3. Gutier. cap. 98. num. 1. traditurque à lege regia 3. tit. 1. part. 3.

Consanguinitas igitur impedimentum est dirimens matrimonium contrahendum, non quidem ex iure aliquo Diuino veteri Leuit. 18. quo antiquitas matrimonium dirimebatur quia illud ius lege Euangelica abrogatum est: nec nouo aliquo à Christo promulgato, quia nullum extat, sed iure Posticio, quod olim vsque ad septimum gradum extendebatur, vt constat ex cap. ad sedem 35. 9. 5. Nunc autem ad quartum inclusuè extenditur iuxta Textum in cap. de consanguinit. Ratio huius prohibitionis est, quia matrimonium, sicut & reliqua omnia ad fouendam charitatem referri debet, ad quem finem maximè expedit matrimonium inter consanguineos interdici, vt sic homines obligentur cum non consanguineis contrahere, & hac vià Republica in charitate, & amore fundetur. Quippè consanguinei satis erant amore, & familiaritate coniuncti titulo consanguinitatis, ac proinde non indigebant matrimonio ad charitatem fouendam. Expedit ergo matrimonium, quòd vinculum est amoris ad eos tantum qui prædicto titulo amicitia carent, extendere. Præterea actus coniu

coniugalis quamdam ex se indecentiam, & turpitudinem refert, quæ dedecet reuerentiam consanguineis debitam. Deinde cum consanguinei summam inter se familiaritatem habeant, eorum pudicitia periclitaretur, si inter illos matrimonia contrahi possent. Tandem vsus coniugalis redderetur immoderatus, si amor sanguinis coniugalis amor accederet.

7 Quæstionem habet, An iure naturæ aliqua consanguinitas matrimonium irritet? In qua variæ sunt sententiæ, quas latè refert Sanch. *lib. 7. disp. 5. 1. per totam*. Nam alij censent matrimonium consistere non posse in linea recta inter patrem, & filium. Alij extendunt ad secundum gradum, alij ad quartum. Alij ad omnes ascendentes, & descendentes. Quoad lineam transfersam aliqui affirmant in primo gradu scilicet inter fratres matrimonium non posse consistere. Alij ad omnes gradus *Leuit. 18.* prohibitos extendunt.

8 Sed in hac varietate mihi probabilis apparet in primo gradu lineæ rectæ matrimonium iure prohibitum, & inualidum esse, uti communis omnium sententia docet, ut videtur est in Caiet. *2. 2. quæst. 154. art. 9. circa solut. ad 3.* Soto *in 4. dist. 40. q. vnic. ar. 3. conclus. 2.* Valen. *1. 4. disputat. 10. quæst. 5. p. 1. 3. §. 4.* Thom. Sanch. *lib. 7. disputat. 5. 1. num. 7. Gutier. cap. 98. num. 13.* Coninch. *disp. 32. dub. 1. conclus. 2. num. 13.* Basilus Ponce, *lib. 7. cap. 31. num. 4.* Paul. Layman. *lib. 5. sum. tract. 10. par. 4. cap. 6.* Galpar Hurtado *disputat. 17. difficile. 3.* Probat aliqui, quia pater, & filius vna persona reputantur. Non igitur inter ipsos matrimonium consistere potest. Præterea matrimonium aequalitatem respicit inter coniuges, cum vnus alteri suum corpus ad vsum coniugalem tradat; at inter patrem, & filiam, & à fortiori inter filium, & matrem aequalitas esse non potest, cum semper debeat descendens suo progenitori subiacere. Ergo. Hæc tamen rationes leues sunt. Nam esto vna persona reputentur pater, & filius, de facto duæ personæ sunt distinctæ. Ergo ob distinctionem irritati matrimonium non potest. Deinde est genitus genitore inferior sit, & subiectus iure naturæ, hac tamen subiectio non obest, quin in ordine ad vsum coniugalem aequalitatem habeat. Quapropter ex his rationibus solum probatur conueniens non esse prædictum matrimonium, non tamen coniugium esse irritum, idè quæ conclusionem hac consideratione probandam censo. Matrimonium ad copulam refertur; copulam autem inter consanguineos primi gradus lineæ rectæ omnes gentes, imò bruta animalia horrent, & auerfantur, teste Aristot. *de hist. animal. lib. 9. c. 49.* Et Plinio *lib. 8. hist. natural. cap. 42.* Et docet Ambros. *epist. 66. ad Paternum.* Ergo credibile non est humanum genus hanc à Deo accepisse potestatem tradendi corpus ad vsum ita horribilem, & turpem. Neque inde fit stantè extremâ necessitate propagandi genus humanum, eo quod solus pater, & filia, vel filius, & mater subsistunt, non esse licitum, nec validum tale matrimonium: ut docet Caietan. *2. 2. q. 154. art. 9.* Petr. de Ledem. *q. 54. art. 3. difficile. 1.* Egid. Coninch. *disputat. 32. dub. 1. num. 14.* Galpar Hurtado, *disp. 17. de matr. difficult. 3.* & alij. Quia turpido, & indecentia quæ in tali matrimonio reperitur ob reuerentiam consanguineis ita iunctis debitam, sufficienter honestari videtur ob necessitatem generis humani propagandi: ad quem finem matrimonium dirigitur, sicuti in omnium sententia honestaretur, si ob aliquem finem honestum Deus in prædicto matrimonio dispenseret. Atque ita ut probabilis defendit Thom. Sanch. plures referens *lib. 7. disp. 5. 1. num. 10.* Gutier. *cap. 98. n. 14.* Henric. *lib. 12. cap. 9.* Basil. Ponce, *lib. 7. cap. 31. num. 4.* Paul. Layman. *lib. 5. sum. tract. 10. p. 4. c. 6. n. 1.* Et quæ huius sententiæ aequaliter D. Chrysofom. *44. in Gen. Et D. Ambros. lib. 1. de Abraham. cap. 6.* quatenus excusant filias Loth à culpa in concubitu cum patre, eo quod putauerint nullum superfuisse virum, qui generationi deseruire posset. Dixi aliquoties, quia si Doctores non excusant filias Loth à culpa, eo quod credant in prædicto euentu licitam fuisse copulam, sed quia existimantur illas ignorantiam inuincibilem laborasse, tum existimantes omnes alios homines perisillisse, tum credentes illo remedio uti potuisse etiam matrimonio non contracto, quod à veritate alienum est.

9 Quod verò in aliis gradibus extra primum iure naturæ matrimonium irritetur; incertissimum est. Nam Sanch. *lib. 7. disputat. 5. 1. num. 15.* plures referens Basil. Ponce, *lib. 7. cap. 8. r. num. 6.* negant, eo quod auus non sit principium neptis, neque auia nepotis; sed solum applicent principium. Idè quæ non debetur eis ea reuerentia, quæ patri debetur, ac proinde non est ea turpido, & indecentia, quæ in accessu eadè parente certatur, ob quam credendum sit negatam à Deo ascendentes, & descendentes hanc potestatem sibi murò corpora tradendi in coniugium. Alias non solum in quarto, sed in quinto, & vltiori gradu in infinitum matrimonium iure naturæ prohibitum esset. Alij verò scilicet Scotus *in 4. d. 40. q. vnic. art. 2.* Bellarmin. *lib. 1. de matr. cap. 28.* Coninch. *disp. 32. dub. 1. conclus. 3. num. 16.* Paul. Layman. *lib. 5. tract. 10. par. 4. cap. 6. num. 2.* Galpar Hurtado *disp. 17. difficult. 4. cen-*

sent iure naturæ verum esse matrimonium descendens cum quolibet ascendente, eo quod ab eo dependat in suo esse, illi quæ eam causam reuereri debeat, cui reuerentia vsus coniugij obstat, ut ex vsu omnium gentium bene institutarum liquet; Argum. *leg. Nuptia ff. de Riui nuptiar. ibi. Nuptia consistere non possunt inter eas personas, quæ in numero parentum, liberorumve sunt, siue proximi, siue vltimates sint vsque in infinitum.* Et l. vlt. ff. eodem tit. ibi: *libere gentium incestum committit, qui ex gradu ascendenti, vel descendenti uxorem duxerit.* Ex his constat, quàm incertum sit, an matrimonium inter ascendentes, & descendentes iure naturæ irritetur. Sed quia matrimonij valor quoad fieri possit sustinendus sit, & quia negari non potest, quo quis magis à suo principio distat, minus illi esse coniunctum, minoremque illi reuerentiam deberi, minusque in honestum esse illi in matrimonium iungi, credo extra primum gradum, vel saltem secundum lineæ rectæ iure naturæ coniugium non irritari. Nam quod vltra quartum gradum non irritetur, ea ratione conuincor. Pontifices in *cap. ad sedem 35. quæst. 5.* ad septimum gradum impedimentum consanguinitatis extenderunt, postmodum Innocent. III. in *cap. non debet de consanguinit. Et affirmat.* ad quartum restricti. At hi Pontifices non solum de gradibus lineæ transfersæ, sed etiam rectæ locuti sunt, aliàs posset quis cum suo ascendente in secundo gradu matrimonium contrahere, sequens opinionem probabilem illud matrimonium iure naturæ irritum non esse. Ergo vltra quartum gradum nulla est prohibitio etiam in linea recta.

Verum si de gradibus lineæ transfersæ loquamur Abulen. *Leuit. 18. q. 5.* Soto *in 4. d. 40. q. vnic. art. 2.* Couarrua. *in 4. decret. 2. p. cap. 6. §. 10. num. 15.* Sanch. aliis relatis, *disp. 5. num. 11.* Bellarmin. *c. 28.* Valen. *1. 4. disp. 10. quæst. 5. p. 1. 3. §. 4. contrauersa.* Paul. Layman. *lib. 5. sum. tract. 10. par. 4. cap. 6. num. 3.* Gutier. *cap. 98. num. 20.* & alij censent matrimonium in primo gradu huius lineæ scilicet inter fratres iure naturæ irritum esse. Quibus fauet Innocent. III. in *cap. gaudemus de Diocretis.* vbi de conuersis ad fidem inquit. *Si in secundo, vel vltioribus gradibus conuixerunt non esse separandos, tacite innuens separandos esse, si in primo conuixerint.* Ratio est, quia actus coniugalis ob turpitudinem, quam præ se fert adfertur naturali pudori, ac reuerentia, quæ sanguine ita iunctis debetur. Et quia periculum nō leue haberent fratres libidinosis affectibus ob continentiam cohabitationem, si scirent coniugium non sibi à natura esse interdictum idè quæ plures gentes talem copulam & matrimonium detestatae sunt, ut refert Aristot. *lib. 2. politie. cap. 2.* Et Abraham Genes. *12.* aliterens Saram esse eius sororem, satis prauit suspitionem coniugij à se remouere, quod non prestaret, si coniugium cum sorore consistere posset.

Cæterum verus censo iure naturæ prædictum matrimonium inter fratres valere, ut docuit D. Thom. *2. 2. quæst. 154. art. 9. ad 3.* Caietan. *ibidem.* Alexand. Alen. *3. part. quæst. 33. memb. 6.* Scotus *in 4. dist. 40. quæst. vnic. Durand. ibidem. quæst. vnic. num. 9.* Richard. *art. 1. quæst. 2.* Et alij pluribus relatis Basil. Ponce, *lib. 7. cap. 3. num. 3.* Coninch. *disputat. 32. dub. 1. num. 19.* Galpar Hurtado *disputat. 17. diff. 5. num. 12.* Moueor, quia id quod iuri naturali contrarium est omnes gentes detestantur, nulque tempore licitum esse reperitur. At coniugia inter fratres ab initio mundi licita fuerunt, tamen postea ut genus humanum latius propagaretur fuerint interdicta, ut rectè notauit August. *lib. 15. de ciuitate Dei, cap. 16.* Pluribusque gentes bene institutæ ea coniugia sustinuerunt, teste Paleoto *lib. de nobis filijs, cap. 3. num. 2.* Et seq. inò in Romana pronuncia refertur in aliquibus partibus eam consuetudinem vigere. Signum ergo est ea matrimonia iure naturæ irrita non esse.

Neque rationes contrariæ vrgent. Nam Innocent. III. in *cap. gaudemus*, solum decedit secundo, & tertio gradu coniunctos separandos non esse. De primo indecimum reliquit, eo quod sub opinione esset constitutum. Ad rationem autem negamus eam indecentiam in copula coniugali fratrum reperiri, ut ob eam credendum sit iure naturæ ea matrimonia irritari, aliàs à principio non valeret. Præterquam quod maior, vel saltem æqualis indecentia reperitur in eo quod vnus duabus sororibus copuletur vel duo fratres vni uxori; cum tamen in his sæpè dispensatum sit. Ex periculo autem incontinentiæ nequit colligi inualidum esse matrimonium, sed ad summum illicitum causâ legitimâ deficientem. Ad factum Abraham satis est quod matrimonia inter fratres frequentet non contingerent, non tamen conuincit nunquam contrahi posse.

Ex his à fortiori inferitur iure naturali non dirimi matrimonium inter nepotem, & amitam, inter patrum, & sobrinam, cum minorem indecentiam ea copula præ se ferat, videamurque sæpè cum magnis Principibus esse à Pontifice dispensatum.